Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-44537-p0001-7

X, 25.

3,534

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-44537-p0002-3

34

# Contenta.

1. Zachar. Pürschmidt de Successione ab intestato.
2. Friedr: Philippi de Successione ab intestato ex Statuto Gorlicensi.
3 Christoph Donndorff de Successione abintestato secundum Statuta Dresdensia.
4. H. E. G. S. Delineatio Successionis inter virum et uxorem.
5. August. Friedr. Schott Specimen Institutionum juris Saxonici ex doctrina de successione ab intestato.
6. Eiusd. primae Lineae juris Saxonici Electoralis de legitima conjugum Successione.
7. Christian Gottlieb Hommel Capita juris Controversi ex doctrina Successionis ab intestato Saxonicae.
8. Christian Friedrich Schorch die Unfähigkeit der Mantelkinder zur Erbfolge.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-44537-p0003-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-44537-p0004-4

No. VIII

3

*IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, Filii Dei unigeniti, quem tanquàm verum Deum noſtrum colamus per omnia l. 6. in pr. C. de ſum. Trinit.*

# DISSERTATIO DE SUCCESSIONE AB INTESTATO CIVILI ET SAXONICA,

*Quam*

*Authoritate & Conſenſione Magnifici & Nobiliſſimi in hac LL. nutrice Salana JCtorum Collegii*

Sub Tutamine & Moderamine

*Viri Nobiliſſimi, Ampliſſimi & Conſultiſſimi*

DN. ZACHARIÆ Prüſchencken/ JCTI Eximii, P.P. Celeberrimi, p.t. Decani Spectatiſſimi, Curiæ Provincialis & Scabinatûs Aſſeſſoris & Conſiliarii Saxonici Graviſſimi, Patroni, Promotoris & Præceptoris mei omni obſervantiâ per ætatem ſtudioſè colendi,

In Auditorio Jctorum

*Ad diem Septembr.*

Horis matutinis ſolitis

*Publico Eruditorum Examini ſubjicio*

JOHANNES Freiesleben/ Altenburgô-Miſnicus.

JENÆ

*Imprimebat* Johan-Chriſtoph Weidner.

*Anno* M. DC. XXXVII.

No. VIII.

218

BIBLIOTHECA PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-44537-p0006-5

# PRÆLOQUIUM.

MAteriam de Succeſſionibus ab Inteſtato non tantùm frequentiſſimam, ſed etiam utiliſſimam eſſe, omnibus patet, neminemque latet, niſi eum, cui planè nulla cum Bartolo & Baldo intercedit amicitia. Quapropter me de punctulo fabæ vel re inani acturum non putavi, ſi illam, pro ingenii mei viribus tractandam in me ſuſciperem.

Adſta nunc cœptis, ô Deus Alme, meis.

## THESIS I.

ORdine methodi conſideranda venient vocabuli *Homonymia, Definitio Nominalis & Realis, & Diviſio.*

II.

Quoad *Homonymiam*, multifariàm vocabulum *Succeſſionis* uſurpatur: Interdum enim proſperum, interdum adverſum denotat eventum. Ita *Plautus in Perſa:*

Si quam rem accures ſobriè aut frugaliter,
Solet illa rectè ſub manus ſuccedere.

Et *Terentius in Andria:* Hâc non ſucceſſit, alia aggrediemur viâ. Quandoq; ſucceſſionem perſonarum, quando nim. priori perſonâ remotâ, in locum ejus alia ſubſtituitur, ſignificat. Sic *Cæſar:* Integri & recentes defatigatis ſuccedunt. Et *Ovidius:*

Succeſſore novo tollitur omnis amans.

Nonnunquam ſuccedere ad ſolas res pertinet, de qua ſignifica-

tione, ut & de aliis, videri poteſt *Forſter. in tr. de ſucceſſ. ab inteſt. lib. 1. cap. 1. per tot.* Nos vocabulum hócce ad noſtrum propoſitum accommodantes, ſumimus pro Jure Succedendi in hereditate, vel pro ejusdem acquiſitione, *Forſter. d. tr. c. 1. in fin.*

III.

Eſt igitur ſucceſſio ab inteſtato acquiſitio hereditatis, quæ à ſola lege ſine ullo hominis facto nobis defertur. *Dn. Ludweil. Diſp. ad Inſt. 10. th. 1.*

IV.

Inteſtatus quis decedit 4. potiſſimum modis: 1. Si teſtamentum planè nullum fecit. *pr. Inſt. de hered. quæ ab inteſt. defer. l. 1. ff. de ſuis & legit.* 2. Si teſtamentum quidem fecit, ſed non jure, i.e. non ſolenniter, *d. pr.* 3. Si jure quidem fecit, ſed ex poſt facto ruptum irritumve factum eſt *tot. tit. Inſt. quibus mod. teſtam. infirm.* 4. Denique, ſi teſtamentum illius ab herede deſertum eſt. *d. pr. & l. 64. ff. de V. S.*

V.

Si Pupillus, vel Prodigus, vel Furioſus, vel Filiusfam. carens peculio caſtrenſi & quaſi, quibus teſtamenta condere fas non eſt. *§. 1. Inſt. quib. non eſt permiſſ. fac. teſt. l. 5. 19. & 28. ff. qui teſtam. fac. poſſ* decedant; quæritur, An etiam inteſtati deceſſiſſe dici queant, imprimis, ſi illis non ſit ſubſtitutum? A. ex *l. 2. §. 2. & l. 4. §. 3. ff. qui pet. tut. l. 14. §. fin. ff. ad l. Falcid. l. 27. §. 23. ff. ad SCt. Tertull. & aliis quàm plurimis texx. Bachov. ad Tr. vol. 2. Diſp. 16. th. 1. lit. A. & Gerhard. Decad. 11. q. 1.* Diſſentiunt multi à Forſtero *lib. 3. c. 4. n. 2.* relati.

VI.

*Generis* loco in definitione ponuntur verba: Acquiſitio Hereditatis, quæ elegantiſſimè genuinâ generis naturâ exprimũt, dùm ſecundùm *Porphyr. lib. 2. Iſagog.* prædicari poſſunt de pluribus ſpecie differẽtibus, puta, ſucceſſione ab inteſtato, ſucceſſione ex Teſtamento & Succeſſione ex Fideicõmiſſo univerſali, in quæſtione quid eſt. Undè ſi quæritur, quid ſit ſucceſſio ab inteſtato? Quid ſucceſſio ex teſtamento? Quid Succeſſio ex Fidei-

dei.

deicommiſſo univerſali? aptiſſimè reſpondetur Acquiſitio hereditatis. *Differentia* ſpecifica deſumitur 1. à *cauſa efficiente*, quæ eſt ſola Lex *l. 1. ff. de petit. hered. & t. t. t. t. ff. & C. de Legit. hered.* 2. *Modo*, qui conſiſtit in eo, quòd ſine ullo hominis facto nobis deferatur, quo excluduntur ſucceſſiones ex Teſtamento & Fideicommiſſo univerſali, quæ factum hominis præciſè requirunt.

## VII.

Eam diſpeſco in *Civilem* & *Saxonicam*. Priùs de Civili, pòſt de Saxonica.

## IIX.

*Civilis*, rejecto Jure veteri, ne inventis frugibus glandibus veſcamur, ex *Jure Novellarum* defertur vel ratione *Sangvinis*, vel *ratione aliqua Civili. Nov. 118. l. 1. C. unde vir & ux. t. t. C. de bon. vacant. libr. 10. Dn. Arum. exerc. 11, theſ. 4. Donell. libr. 9. comm. c. 1.*

## IX.

Ratione *Sangvinis* defertur 1. *Deſcendentibus*, qui meritò omnibus Aſcendentibus, & ex latere venientibus, exceptis Caſibus enumeratis *in Auth. Præterea. C. und. vir & ux. & l. 3. C. de bon. matern.* præponuntur. *Nov. 118. c. 1. in pr. Auth. in ſucceſſione. C. de ſuis & legit.* Ratio enim naturalis, qſ. lex quædam tacita iis addicit parentum hereditatem eosque ad debitam ſucceſſionem vocat. *l. 7. in pr. ff de bon. damnat.* & quicquid parentes, hinc inde per ſaxa, per ignes currendo, anxiè conquirunt, id omne liberis ſuis ex voto parant. *l. 50. §. 2. in fin. ff. de bon. libert.* Unde etiam viventibus Parentibus bonorum quodammodò Domini exiſtimantur. *§. 2. Inſt. de hered. qual. & differ. l. 11. ff. de lib. & poſth.* ita ut morte Parentum non tàm ſucceſſio eis acquiri, quàm dominium continuari videatur. *Pacius in Iſagog. ad tit. Inſt. de her. qual. & differ. & Rittersh. ad Inſt. §. 2. d. t.*

## X.

Deſcendentes aut ſunt *Legitimi*, aut *Illegitimi*. *Legitimi*

 ite-

iterùm vel ſunt *Naturales & Legitimi ſimul*, vel *Legitimati*, vel *Legitimi tantùm*.

## XI.

*Naturales & Legitimi ſimul* cenſentur, qui ex juſtis & legitimis nuptiis ſunt procreati. *pr. Inſt. de Nupt. l. 6. ff. de his qui ſunt ſui vel alien. jur.* aut procreandi, ut poſthumi. *l. 3. §. 9. ff. de ſuis & legit.* Appellitantur naturales, quia ſecundùm naturam ex parentibus procreati ſunt: Legitimi verò, quia iſta conjunctio Parentum, ex quibus nati ſunt, à lege divina, civili & canonica eſt approbata. *Schneidew. Inſt. de her. quæ ab inteſt. defer. de ſucceſſ. fil. natural. & legit. ſimul. n. 1.*

## XII.

Hi ſunt vel *primi gradus*: ut filius, filia; vel *ulterioris*: ut nepos, neptis, pronepos, proneptis, abnepos, abneptis, &c. *§. 1. 2. & 3. Inſt. de gradib.*

## XIII.

*Primi gradus* ſuccedunt Parentibus ſuis in capita. *Nov. 118. c. 1. Auth. in ſucceſſione. C. de ſuis & legit.* i. e. ut tot fiant partes, quot ſunt perſonæ ſuccedentes, *Ulpian. tit. 26. §. 3.* quem allegat *Rittershuſ. ad §. 6. Inſt. de her. quæ ab inteſt. defer.* *Ulterioris* verò in infinitum in ſtirpes, non proprio, ſed repræſentationis Jure, i. e. ut tantam portionem accipiant, quantam pater eorum caperet, ſi viveret. *Nov. 18. c. 4.* ſive ſoli ſint, ſive cum aliis primi gradus liberis concurrant, nullâ vel ſexus vel patriæ poteſtatis ſuitatisve habitâ differentiâ: Ea enim in totum hodiè ſublata eſt, & liberi omnes ſive maſculi, ſive fœminæ, ſive ſui, ſive emancipati, tàm patri, quàm matri, tàm avo, quàm aviæ indiſtinctè ſuccedunt. *Nov. 118. c. 1. Forſt. l. 8. c. 9. n. 6.* Quoad emancipatos diſſentit *Cujac. ad d. Nov. 118.* Verùm ipſi reſpondendo ſatisfecerunt *Dn. Arum. exerc. 11. th. 17. Ampliſſimus Dn. Ungepauerus, Promotor & Præceptor meus perpetim obſervandus exerc. 9 q. 3. in Ajo. & Eguin. Baro. ad pr. & §. 9. Inſt. de her. quæ ab inteſt. defer.* quos videſis.

## XIV.

Dicis; Jus repræſentationis non ultra pronepotes extenditur. *§. 6. Inſt. d. t.* E. non datur in infinitum. Reſpondetur, id quod dicitur §. 6. non diſpoſitivè, ſed exemplificativè poſitum eſt, uti colligere licet ex ipſis §. verbis generalibus; *& alias deinceps perſonas &c. junct. Nov. 118. c. 1.* ibi: *aut alios deſcendentes. Dn. Arum. exerc. 11. th. 5. & Dn. Riemer. decad. 8. q. 4.*

## XV.

Deſcendentes *Legitimati* vocantur, qui ratione initii ſunt naturales tantùm, & poſtea legitimantur. *§. 13. Inſt. de Nupt.* idque de jure tribus accidit modis: 1. *Curiæ oblatione*, quando Pater liberos, vel liberi ſemetipſos Curiæ Decurionum offerunt. *d. §. 13. l. 3. C. de Natural. lib. & Nov. 89. c. 1.* Verùm iſte modus a Theodoſ. introductus *d. l. 3.* & à Juſtiniano in *Nov. 89. c. 1.* approbatus, hodiè moribus noſtris exolevit; ideò plura de eo præter hoc unicum, quòd ſive ſoli fuerint, ſive cum aliis naturalibus & legitimis concurrerint, Patri in capita, non etiam cæteris cognatis ſucceſſerint. *Nov. 89. c. 3. & 4.* addere diſplicet.

## XVI.

2. *Matrimonio ſubſequente*, quando pater fœminam, ex qua liberos naturales ſuccepit, in uxorem ducit. *d. §. 13. & Nov 89. c. 8.* Hi in ſucceſſione, eodem, quo legitimi & naturales ſimul, gaudent jure *§. 2. Inſt. de her. quæ ab inteſt. defer. l. 10. C. de natural. lib. Nov. 12. c. 4.* Ratio; quia omne vitium antecedens purgatur & tollitur matrimonio ſubſequente. *Geil. 2. obſ. 141. num. 2.* Et ita quotidiè à Scabinis pronunciari, daß ſolche geehlichte Kinder an Erbfällen / zu Ehren vnd redlichen Ständen nicht verhindert werden / teſtis *Schneidew.* eit *Inſt. de her. quæ ab inteſt. defer. de ſucceſſ. fil. natural. & legit. ſimul. n. 9.*

## XVII.

3. *Principis reſcripto*, quando pater naturalis, vel ipſi etiam liberi reſcriptum Principis ea de re impetrant. *Auth. Præter-*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-44537-p0011-3

terea. & Auth. Item ſine Legitimis. C. de natural. lib. Nov. 89. c. 9. Idque expeditur vel ab ipſo Principe, vel à Comitibus Sacri Palatii Lateranenſis, Reichshoffgraven. Ludwell. diſp. ad Inſt. 2 th. 9. lit. H. quibus vulgariter, ut Notarios & Tabelliones creent, & naturales legitiment, Summi Principis beneficentia, conceſſum eſt. Limnaeus lib. 4. J. P. c. 4. n. 47. Tales ſolummodò nullis ex legitimo matrimonio extantibus admittuntur. Nov. 89. c. 9. Aliàs extantibus legitimis ab hereditate paterna arcentur. Nov. 74. c. 2. in fin. non verò materna, quæ illis reſervatur & de jure competit. t. t. C. de SCt. Orfic.

## XIIX.

Deſcendentes Legitimi tantùm ſive Adoptivi, an Kindes Statt angenommene/ ſunt ii, qui non ſecundùm naturam, ſed legem exiſtunt filii adoptantis, pr. Inſt. de Adopt. & Cajus lib. 1. Inſt. tit. 5. Et dividuntur in Adoptivos in ſpecie dictos & Arrogatos. §. 1. Inſt. de Adopt.

## XIX.

Illi durante Adoptione Patribus adoptivis & naturalibus ſimul ab inteſtato ſuccedunt; id quod omni caret ſcrupulo, ſi ſint adoptati ab extraneo, qui hodiè in ejus poteſtatem non tranſeunt, ſed patris ſui naturalis jura ſarta reſervant §. 2. Inſt. de Adopt. l. pen. in pr. C. eod. §. 14. Inſt. h. t. Oldendorp. claſſ. 5. act. 5. Si verò ſunt adoptati ab avo vel alio aſcendente, cujus in poteſtatem pervenerunt, oritur quæſtio benè intricata, an illi ſtante & durante adoptione etiam patri naturali, caſu dato, ſuccedant? Affirm. ex auth. in ſucceſſ. C. de ſuis & legit. arg. §. fin. Inſt. de Legit. agnat. tut. §. 11. h. t. & l. 8. ff. de R. J. Hackelm. Diſp. parat. 18. th. 12. lit. A. & Hunn. lib. 3. V. R. tr. 1. q. 9. Diſſentiunt per d. l. pen. pr. C. de Adopt. Schneidew. ad §. 2. Inſt. de Adopt. & de ſucceſſ. filior. adopt. n. 11. & Donell. 9. comm. c. 2.

## XX.

Hi etiam ſuccedunt arrogatori ut filii naturales & Legitimi.

timi. *l. pen. §. fin. C. de Adopt.* non ſolùm ab inteſtato, ſed etiam ex Teſtamento, ita ut arrogator, ſi prætereat in teſtamento filium arrogatum, nec ipſum heredem inſtituat, aut vivus ſine juſta cauſa emancipet, teneatur filio arrogato præter bona illata quartam partem bonorum ſuorum relinquere. §. 3. *Inſt. de Adopt. l. 2. C. eod. Donell. lib. 6. Comm. c. 23.* Ad quam conſequendam datur arrogato condictio ex lege. *l. 8. § 15. ff. de inofficioſ. teſt.*

## XXI.

Progreſſum nunc faciam ad Liberos *illegitimos*, quos divido in *naturales tantùm*, *ſpurios* & *ex damnato complexu natos.*

## XXII.

*Naturales tantùm* ſive ex una concubina nati. *t. t. C. de natural. lib.* nullis exiſtentibus liberis legitimis & uxore, Patri unà cùm matre in duas hereditatis uncias, *Nov. 89. c. 12. § 4.* Matri verò, etiam illuſtri, cum aliis liberis ex juſto matrimonio natis in capita, h. e. viriles portiones ſuccedunt. *l. 5. in fin. C. de SCt. Orfic. l. 2. ff. unde cognat. Treutl. vol. 2. Diſp. 16. th. 3. lit. C. & D.* Adjeci haud abſque ratione 1. *ex una concubina nati;* Quia ſi pater plures aluerit concubinas, ejusmodi liberos Lex odio plùs quàm novercali perſequitur omnique ſucceſſione privat. *cit. Nov. c. 12. §. 5.* Nepotes q. q. ex ejusmodi liberis avi materni & in linea materna aſcendentium, ut alii legitimi, ſucceſſores exiſtunt, non verò avi paterni aliorumque in linea paterna aſcendentium. *l. 5. C. ad SCt. Orfic. l. fin. §. ult. C. de natur. lib.* ~~*Hunn. ad Tr. cit. loc. q. 27.*~~

## XXIII.

*Spurii* ſive vulgò quæſiti Patri, quem non habere intelliguntur, §. *12. Inſt. de Nupt. & §. 4. de ſucceſſ. cognat.* & aliis Paternæ lineæ de Jure ſuccedere non poſſunt. *l. 4 ff. unde cognat.* Statuto autem Patri aliisque ex linea paterna aſcendentibus quin poſſint ſuccedere, nullus cum *Hunnio alleg. th. q. 30.* fluctuo. Matri verò & aſcendentibus maternis more naturalium

tantùm ſuccedunt. *l. 2. & 8. ff. eod.* Niſi mater ſit perſona illuſtris, prole gaudens legitima. *l. 5. C. ad SCt. Orfic.* Si verò prole legitima deſtituatur, ſpurii etiam ipſi ab inteſtato ſuccedunt. *§. 3. Inſt. de SCt. Orfic.*

## XXIV.

*Ex damnato complexu* nati, quos cum DD. diſtingvo in *Nefarios*, qui ex aſcendentibus & deſcendentibus; *Inceſtuoſos*, qui ex collateralibus; & *Adulterinos*, qui ex adulterio procreantur; omni tàm maternarum quàm paternarum hereditatum ſucceſſione carent, inque tantum de jure noſtro damnantur, ut ipſis alimenta, quæ tamen cuilibet à natura debentur. *l. 5. ff. de agnoſc. & alend. lib.* præſtari non debent. *Auth. ex complexu. C. de inutil. Nupt. Nov. 74. c. fin. & Nov. 89. c. ult.*

## XXV.

Deficientibus deſcendentibus inverſo naturæ ordine, ſuccedunt *Aſcendentes ſive Parentes. Auth. Defuncto C. ad SCt. Tertull.* Appellatione autem Parentum non tantùm Pater & Mater, ſed etiam Avus, Avia, Proavus, Proavia & ulteriores in infinitum usque ſignificantur. *l. 4. §. 2. ff. de in jus vocand. l. 51. ff. de V. S.*

## XXVI.

Exiſtunt autem Parentes vel Soli; vel concurrunt cum fratribus & ſororibus utrinque conjunctis; vel cum fratribus & ſororibus & præmortuorum fratrum & ſororum liberis; vel cum fratrum & ſororum præmortuorum liberis tantùm.

## XXVII.

Si ſoli ſuperſunt parentes, remoto repræſentationis jure, juxta gradus prærogativam (ſi enim Pater & Mater tanquàm gradu propiores adſunt, avus & avia tanquàm remotiores nunquam admittuntur) æqualiter ſuccedunt. *d. Auth. Defuncto* i. e. in capita, ſecundùm numerum perſonarum, modò tamen parentes ejusdem ſint lineæ. Si enim lineâ diſpares gradu tamen

men pares concurrunt, ſucceſſio fit in ſtirpes; v. g. ſi quis decedens ſine liberis & fratribus & ſororibus relinquat avum paternum & avum & aviam maternam, tunc hereditas non in tres, ſed in duas tantùm partes dividenda eſt. *Nov. 118. c. 2.* Nec refert utrum bona ex linea paterna vel materna ad defunctum pervenerint. *Nov. 118. c. 2. Ampliſſimus Dn. Ungepauer exerc. 9. q. 7. in Nego. Forſter. cit. tr. lib. 7. c. 4. n. 12. & ſeq. Hackelm. diſp. ad pand. 18. th. 15. lit.* D. A quibus infeliciter, ut in conflictu luculenter apparebit, diſſentit *Berlich. p. 3. concl. Pr. concluſ. 20, n. 14. & ſeq.*

## XXIIX.

Si concurrunt cum fratribus & ſororibus utrinque conjunctis, ſucceſſio in capita inſtituenda eſt *Nov. 118. c. 2. Auth. Defuncto. C. ad SCt. Tertull. Mynſing. 6 obſ. 41. n. 1.* Adjeci utrinq; ſive ab utroq; latere; nulla enim ſuccedendi ſpes ab uno tantùm latere conjunctis à parentibus relinquitur. *d. Nov. 118 & d. Auth. defuncto.*

## XXIX.

Si præter fratres aut ſorores etiam adſunt prædefunctorum fratrum aut ſororum utrinque conjunctorum liberi, ſucceſſio datur in ſtirpes, & tantam accipiunt portionem liberi, quantam pater eorum accepiſſet, ſi vixiſſet, *Nov. 127. c. 1.*

## XXX.

Q. Si ſoli fratrum liberi cum aſcendentibus concurrant, nullis ſuperſtitibus fratribus germanis, an defectus fratrum ipſi ſit impedimento, quò minùs cum aſcendentibus ſuccedant? Affirmantium mihi arridet opinio ex hoc fundamento: Cum aſcendentibus ſuccedunt ii, in quibus Jus repræſentandi locum obtinet *Nov. 127. c. 1.* Atqui in ſolis fratrum liberis, nullis ſuperſtitibus fratribus germanis, Jus repræſentandi locum non obtinet, ut patebit infrà *ex th. 37.* E. ſoli fratrũ liberi nullis ſuperſtitibus fratribus germanis, cum aſcendentibus non ſuccedunt. *Magnif. Dn. D. Frantz. Promotor meus plurimùm ſuſpiciendus exer. 8. q. 8 Cujac. ad Nov. 118. Borcholt. de Gradib. pag. 217, & ſeq. Hunn. ad Tr. th. 4. q. 39.* Diſſentiunt *Schneid.*

*de 2. ordine ſucced. n. 29. Forſter. lib. 7. c. 7. n. 3. & Hackelm. cit. diſſ. th. 16. lit. A.*

## XXXI.

Inde dependet & perquam facilis eſt deciſio illius quæſtionis; An etiam nepotes & ulteriores ex fratribus cum aſcendentibus admittantur? Si enim filii fratrum ſoli exiſtentes non ſuccedunt cum aſcendentibus, multò minùs cum iis ſucceſſuri ſunt nepotes & ulteriores.

## XXXII.

Succeſſio Parentum Legitimatorum, Legitimorum ſive Adoptivorum & Illegitimorum peculiari explicatione non indiget, cùm ſufficienter intelligi poſſit ex iis, quæ ſuprà *th. 15. & ſeqq. aliquot* dicta ſunt: Cognito enim uno relatorum ſtatim cognoſcitur & alterum. *l. fin. C. de indict. viduit. toll. Treutl. th. 4. lit. I. Acutiſſimus Dn. M. Sibalius, Promotor & Præceptor meus valdè colendus lib. 1. Logic. ſect. 1. c. 3. n. 32.*

## XXXIII.

Fallit tamen hæc Regula 1. in patre adoptante extraneo, qui planè incapax eſt hereditatis filii adoptati. *l. pen. §. 1. C. de Adopt.* Omnia enim jura integra pater naturalis in filium ſibi reſervat. *§. 2. Inſt. de Adopt. & §. 14. de hered. quæ ab inteſt. defer.* 2. etiam in arrogatore, qui filio arrogato intra pubertatem decedenti non ſuccedit, ſed bona illis reſtituere debet, qui, ſi adoptio facta non eſſet, ad ſucceſſionem illius vocati fuiſſent. *§. 3. Inſt. de Adopt.*

## XXXIV.

Ceſſantibus Deſcendentibus & Aſcendentibus hereditates adeunt *collaterales*, qui ſunt 1. *gradus propioris*, ut fratres & ſorores eorumque liberi. 2. *gradus remotioris*, ut reliqui cognati. *Nov. 118. c. 3. & 4. Auth. Ceſſante. C. de Legit. hered.*

## XXXV.

*Fratres & ſorores* ſunt vel *Legitimi* vel *Illegitimi. Legitimi* iterum diſpeſcendi ſunt in *Legitimos & Naturales ſimul, in Legitimatos* & *in Legitimos tantùm.*

## XXXVI.

*Legitimi & naturales ſimul* ſunt vel *utrinq; conjuncti* vel ex *uno latere.*

## XXXVII.

*Utrinq; conjuncti* ſuccedunt in capita, ſi ſoli ſunt, *Nov. 118. c. 3.* quando autem liberi prædefunctorum fratrum & ſororum cum illis concurrunt, ſucceſſio fit repræſentationis jure in ſtirpes. *Auth. Ceſſante. C. de Legit. hered. d. Nov. 118. c. 3.* Et ultra has concurrentes perſonas jus repræſentationis locum non obtinet. *Auth. Poſt fratres fratrumq; C. de Legit. hered.* Ideoq; ſi ſoli fratrum filiorum liberi ſuperſunt, & ad aditionem hereditatis defuncti patrui vel avunculi vocantur, ſuccedunt in capita, non in ſtirpes. *l. 2. §. 2. ff. de ſuis & Legit. l. 14. §. 1. & l. 15. §. 3. C. de Legit. hered. Azo in ſumma. C. eod.* quod etiam confirmavit Carolus V. in comitiis Spirenſibus *anno* 1529. Ratio videtur hæc eſſe, quia proprio ſuo jure ad defuncti ſucceſſionem vocantur, quod Jus, cùm omnibus ſit æquale, omnibus quoq; æquales debet tribuere portiones. *Rittesh. ad Nov p. 7. c. 13. ferè per tot.* Diſſentit *Accurſ. in auth. ceſſante cum multis ſequacibus, quos allegat Berlich. p. 3. concl. 24. n. 25.*

## XXXIIX.

Poſt fratres & ſorores utrinq; conjunctos *uno tantùm latere conjuncti* more utrinque conjunctorum ſuccedunt, ſi ſoli ſunt, in capita, ſi cum fratrum & ſororum liberis concurrunt in ſtirpes. *Auth. poſt fratres autem. C. de Legit. hered.* ſine ulla bonorum diſtinctione. *Nov. 118. c. 3.* Fruſtrà igitur *Treutl. th. 5. lit. C. Hackelm. th. 19. lit. B. Moller. in comment. ad Conſtit. Elect. p. 2. Conſt. 31. n. 3. ſub fin. & quàm plurimi alii* diſtingvunt inter bona paterna, materna & aliundè quæſita; ita ut in bonis paternis ſoli conſangvinei, in maternis ſoli uterini, in aliundè ac-



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-44537-p0017-5

228

quiſitis omnes æqualiter ſuccedant. *Hunn. ad Treutl. d. th. 5. q. 24. & Fachin. lib. 6. controv. c. 5.*

## XXXIX.

*Fratres Legitimati*, factâ legitimatione *ſubſequenti matrimonio*, ſuccedunt omnibus fratribus ex eo matrimonio editis ſimul & hi illis viciſſim. *Schneid. de tertio ordine ſucced. n. 36. cui adjunge dicta ſuprà th 16.* Facta verò Legitimatione *oblatione Curiæ vel Principis reſcripto*, duo caſus ſunt diſtingvendi: Aut enim quæritur de ſucceſſione fratrum naturalium & legitimorum ſimul, & iis non ſuccedunt: nam legitimati oblatione curiæ tantùm Patri ſuccedunt, nec ullum participium ad aſcendentes, deſcendentes & collaterales Patris habent. *Nov. 89. c. 4.* Legitimati verò per reſcriptum Principis fratribus legitimè natis exiſtentibus Patri non ſuccedunt. *Nov. 74. c. 2.* E. multò minùs fratribus. Aut quæritur de ſucceſſione fratrum legitimatorum inter ſe, & ſibi invicem ſuccedere poſſunt. *arg. l. 2. & l. 4. ff. unde cognat.*

## XL.

*Fratres Legitimi tantùm* ſive Adoptivi ſibi quoq; invicem ſuccedunt. Limitetur tamen hæc Regula ut procedat, ſi arrogati. *arg. §. 11. Inſt. de Adopt.* vel ab aſcendente adoptati fuerint. *§. 2. Inſt. eod.* ab extraneo enim adoptati ſibi invicem non ſuccedunt. *l. pen. §. 1. in fin. C. d. t. Treutl. th. 5. lit. D. Forſter. libr. 8. c. 14. n. 1.* Tantùm de fratribus Legitimis.

## XLI.

*Illegitimi* ſunt vel *Naturales tantùm*, vel *ſpurii* vel *ex damnato complexu nati.*

## XLII.

*Naturales tantum ut & ſpurii* ſibi quoque invicem ſuccedunt, quod tamen cum diſtinctione accipiendum eſt. Aut enim per lineam paternam conjuncti ſunt fratres, aut per maternam. Per lineam paternam conjuncti ſibi invicem non ſuccedunt. Ratio datur in *§. 4. Inſt. de ſucceſſ. cognat.* quia ſe.

ſc. neque agnatio neque cognatio inter eos intercedit. Per lineam verò maternam conjuncti ſibi invicem rectè ſuccedunt. *l. 2. & 4. ff. und. cognat. Tr. th. 5. lit. E. ibidemq; Hunnius.*

## XLIII.

*Fratres ex damnato complexu nati* ſibi invicem non ſuccedunt. *Nov. 74. c. 6. & Nov. 89. c. 15.*

## XLIV.

Tranſeamus nunc ad *remotioris gradus collaterales*, qui ſunt cognati cœteri proximi, poſt fratres & ſorores eorumque liberos vocandi, excluſis remotioribus, ut pares gradu pariter admittantur, & quidem iu capita. *Auth. Poſt fratres C. de Legit. hered. & Nov. 118. c. 3. in fin.* Nihil autem intereſt ſive mares ſint, ſive fœminæ, ſive agnati, ſive cognati, docente *Imp. d. Nov. c. 4.* Verùm ad quem gradum usque ſuccedant, inter Dd. eſt conflictus? Eos in infinitum ſuccedere, ſtatuo *ex l. 2. ff. und. cognat. l. 2. §. 1. ff. de ſuis & Legit §. 3. Inſt. de Legit. ſucceſſ. agnat. & alleg. Nov. 118. c. 3. §. 1.* cum *Dn. Arumæo ſuprà cit. exercit. th. 13. Treutl. th. 5. lit. H. & Hackelm. theſ. 19. lit. E.* Diſſentiunt *Gail. 2. obſ. 150. in pr. Bachov. ad cit. th. lit. H. & Schneid. in 3. ord. ſucced. n. 39.* Hæc de ſucceſſione, quæ ratione ſangvinis defertur, dicta ſufficiant.

## XLV.

Sequitur ſucceſſio, quæ *ratione* aliqua *civili* defertur, eſtq; vel *conjugum*, vel *Fiſci*.

## XLVI.

Deficientibus omnibus ordinibus ſuprà enumeratis ſuccedunt *Conjuges* in ſolidum. *l. un. C. unde vir & ux.* Ut autem hæc ſucceſſio procedat, conjunctim potiſſimùm requiruntur. 1. Ut ſuperſint nulli propinqui. *l. un. C. d. t.* 2. Ut matrimonium juſtum & legitimum fuerit. *arg. d. l. un.* 3. Ut conjugium inter illos usque ad finem vitæ duráverit. 4. Ut intra annum luctus conjux non nupſerit. *l. 2. C. de ſecund. nupt.*

## XLVII.

Excipitur caſus unicus, quo etiam cum liberis ad ſucceſ-

ſionem mariti vocatur uxor, ſi nempe matrimonium fuerit absque dote, & maritus moriatur dives, ſuperſtes verò uxor laboret inopia; tunc unà cum liberis ſive ejusdem ſive diverſi matrimonii ſuccedit in quartam omnium bonorum, ſi tres vel pauciores, in virilem verò portionem, ſi plures fuerint, ita tamen, ut proprietatem ejus portionis liberis ſervare teneatur ſolô uſufructu contenta: Si verò nulli liberi extiterint, præfertur cognatis in illa quarta, ejusq; non ſolùm uſumfructum, ſed & proprietatem nanciſcitur. *Auth. Praterea. C. und. vir & ux. Nov. 117. c. 5.*

## XLIIX.

Quæritur, an ex natura relatorum, quod ab Imperatore diſpoſitum eſt, quoad ſucceſſionem uxoris, etiam procedat in ſucceſſione mariti, ita, ut eo modo, quo ſuccedit inops uxor, etiam ſuccedat inops maritus? Negantibus aſſentior ob text. ſtellis ſoleque clariorem in *Nov. 117. c. 4. in fin.* à quo, licet durus videatur, recedere nefas duxi. *arg. l. 12. ff. qui & à quib. manum. lib. non fiunt.* Diſſentit *Berlichius p. 3. concl. 26. n. 38. cum multis ibidem allegatis.*

Affirmantibus aſſentiri tutius et verius est per Auth. praeterea C. unde vir et uxor.

## XLIX.

Tandem neutro conjugum ſuperſtite bona tanquàm vacantia deferuntur *Fiſco. l. 4. C. de bon. vacant. lib. 10.* quem cum *Dn. Riemero Dec. alleg. q. fin. ex Nov. 1. c. 1. §. 4.* contrà *Anton. Gothofred. Diſſ. Antivultej. 2. th. 111.* propriiſſimè heredem appellito. Niſi defunctus certi alicujus collegii membrum fuerit: eo enim caſu non fiſcus, ſed collegium hereditatem nanciſcitur. *t. t. C. de hered. decur. &c.* Tenetur autem fiſcus intra quadriennium vacantia illa bona agnoſcere. *l. 1. § 2. ff. de Jur. Fiſc.* aliàs is, qui ea poſſidet, præſcriptione ſe contra eum defendere poteſt. *l. 6. § 7 ff. ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam. l. 1. C. de quadr. præſcr. Duar. de Jur. Fiſc. c. 2.*

## L.

Olim Jus fiſci ſola ſibi vindicabat civitas Romana *l. 1. C. de bon. vacant. & l. 10. ff. ad L. Municip.* Hodiè verò illo gaudent Principes & civitates omnes, quæ ſuperiorem non recogno-

gnoſcunt, aut recognoſcunt quidem, ſed ex conceſſione vel ſpeciali privilegio ſuperioris vel præſcriptione merum & mixtum imperium & Jura regalia & fiſcalia exercent. *Weſenb. in parat. ff. in quib. cauſ. pign. vel hypothec. contrah. n. 5. & Schneid. de ſucceſſ. fiſc. n. 8.*

## LI.

Hactenus de ſucceſſione ab inteſtato *Civili*, ordine ſequitur *Saxonica*.

## LII.

Ea ſit *Deſcendentium, Aſcendentium, Collateralium* & *Conjugum*.

## LIII.

*Deſcendentes* ſuccedunt Aſcendentibus ſi concurrant primi gradus tantùm, ut filii & filiæ, in capita; ſin verò concurrant primi & ſecundi gradus ſimul, ut filii & nepotes ex filiis in ſtirpes. Landrecht *lib. 1. in pr. art. 5.* ſecùs eſt ſi concurrant filiæ & nepotes ex filiabus: illæ enim hos ſimpliciter excludunt. Landrecht *d. art.* ubi legitur: Dieſes mag den Tochter Kindern nicht geſchehen/daß ſie gleichen Theil nehmen mit der Tochter in des Eltern Vaters oder der Elter Mutter Erbe. Verùm illud in omnibus ſcabinatibus Illuſtriſſimorum Ducum Saxoniæ & aulis eorundem ampliùs non attenditur, ſed ſecundùm Jus commune *Auth. in ſucceſſ. C. de ſuis & legit.* nullâ habitâ ſexûs differentiâ tota die pronunciatur. *Schurff. conſ. 73. cent. 1.*

## LIV.

